



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

Epiphania Domini. 6. Ianuarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Quidvis amore D. Ioannis, quem Evangelistam dicimus, rogantibus, nihil visus est unquam negasse. Hanc ille religionem præclare obsignavit annulo suo, dum eum ipsi Divo mendicabulum adsimulanti dono dedit. Hic annulum Regi remisit, simul de mortis horâ commonuit; quem nuncium ille toto mox regno vulgavit, quò preces undiq; piorum cogeret. Atque eo viatico, quamvis suis jam dives meritis, longum cæli iter ingressus est, anno post Virginis patrum M. LXVI. & quia nullam corpus animo virgini in vitâ, mors diu nullam etiam corpori in tumulto labem asperfit.

Ex Surio.

Studeant humiles quotidie in humilitatis virtute proficere, imitantes Regem, qui abjecto onere carnalium & regalium, indumentorum coram Domino arca nudatus exiliens & exultans uxori sibi objicienti respondit, Ludam, & vilior fiam coram Domino. B. Laur. Iust. lib. 1. de Humilitate.

EPIPHANIA DOMINI. 6. Ianuarij.

S Alutaverant jam nuper, inter faustas acclamationes, & cantus festivos Principem suum cælo delapsi cives, aulamque nati Regis quotidie deinceps frequentabant. Sed, & orcus rebellis hucusq; metu jam suo venerabatur. feræ ipsæ Dominum suum supplices agnoverant; ut jam aliud nil restaret, quam ut terra etiam officium suum faceret. Ergo, ut ad exemplum Regum orbis universus se componeret, tres è regnis suis exciti Magi magnis itinibus Berhlemium contendunt, sacramentum Christo nato omnium nomine dicturi. Atque, ut ne aberrarent, placuit Superis ducem stellam dare, & fallere, & falli nesciam. Ita Hierolosymam
ventum.

ventum, seduloque in novi Regis cunabula inquisitum. At Herodes in regno suo alium præter se Regem ullum quæri indignatus, barbara animo jam tum concepit consilia, mox sanguinem, neces, orbasque matres paritura. Aulicis tamen artibus apprimè instructus dolos dolis texit, & ut noceret, amare se finxit, ut perimeret adoraturum se hostem etiam ipse promisit. Sub hæc à Magis, sidere iterum anteambulone, Bethlemium perventum. Ibi confidens stella, velut adventum gratulatura, hospites Reges è tecto salutavit. Extemplò ingrediuntur, Regumque Regem in throno suo præsepi, sapientiam in infante, in homine Deum adorant: addunt deinde tributa, opes peregrinas, aurum, thus, myrrham. Inde viam aliam in regna avita dux somnus dormientibus ostendit: sed sic idem hic vigilantem Herodem delusit. *Ex hist. Evang.*

Sicut Magi de thesauris suis Mysticas Domino munerum species obtulerunt, ita & nos de cordibus nostris, quæ Deo sunt digna, promamus. S. Leo s. 2. de Epiph.

S. ANDREAS CORSINVS.

6. Ianuarij.

ANDREAM CORSINVM parentibus MAGNA VIRGO donavit, cum illi priùs eundem ex voto necdum natum eidem donassent. Videbatur sibi mater utero lupum ferre, sed qui in æde sacrâ gratissimâ metamorphosi in oviculam abiret. Oraculum fuit non somnium. CORSINVS etenim adolescens nonnihil liberior aliquamdiu cum mundo ululavit, post tamen gravibus ac assiduis parentis suæ monitis captus, religiosæ vitæ se mancipavit: à quâ necquidquam eum abducere adnissus est veterator callidus, quamvis nobilem mentitus